

90.

Q. D. B. V.
LITERARUM

PATRONI, FAUTORES,
AMICI

AD
ORATIONEM VALEDICTORIAM
DE

FIRMITATE AC DEBILITATE
**IMPERII TUR-
CICI**

Quam
IN GYMNASIO ZITTAVIENSI
ad d. 23. Septembr. MDC LXXIII.

MODERANTE
CHRISTIANO WEISIO, RECT.

Publicè recitabit
in Academiam discessurus

**CHRISTIANUS FRIDERICUS Behnes /
ZITTANUS;**



**BENEVOLE ET PERAMANTER
AUDIENDAM**

decenter ac officiosè
iuvitantur.



Typis **MICHAELIS HARTMANNI.**



Ustria dum vario discerpitur undiq; bello,
Turbaq; sub flammis sanguinolenta gemit,
Nullibi non par est spem, luctum, vota, do-
lores

Volvere, quâ Christum regna professa patent.
Hei mihi quas clades infelix parturit annus,
Ni reprimit sævos culta Vienna dolos;
Vel nisi tot Procerum præsentia Nomina turmis
Omina fortunæ splendidiora ferunt.
Nam quæ vicinas deformant rudera terras,
Exemplo traherent mœnia plura suo.
Turca etenim sicut casulis habitare pudendis,
Tartarus & miles qui vaga plaustra colit,
Immittit faciles ad summa Palatia dextras,
Damna ruinarum nec minus æqua putat.
Nempe decet solum cultu splendere Tyrannum,
Artificisq; manum Regia sola petit.
Subditus ut rigidum veluti detrusus ad antrum
Se bruto similem, Rege volente, sciat.
Servorum Dominus conclavia libera cernat?
Inq; domo luxum divitiasq; probet?
Simplicitas jaceat sub paupere langvida tecto,
Organa sic cupidus nulla Rebellis habet.
Sic agros lacerat, nitidas sic destruit urbes,
Nec patitur cultæ gentis adesse notas.
Ast olim solo munitus acinace portas
Terruit, ut muris lenta ruina foret:
Nunc ubi sulphureas discunt jactare cicutas,
Ac tormentorum fulmina sæva sonant;
Quin ubi glandivomis favet experientia Bombis,
Artibus & nostris bruta caterva furit;
Ipsa quod illæsum voluit servare vetustas,
In cinerem flammâ mox quatiente ruit.

Sic

Sic sibi produxit propriam Germania pestem;
Inq; suas clades ingeniosa fuit.
Debuit arcanis horum consistere claustris,
Quos amor & pietas Teutonas esse probat.
Sulphuris ergo sciunt tacitum nitriq; vigorem,
Sulphure quos decuit luxuriante premi?
Germani excipiunt funestum pectore plumbum;
Telaq; Barbaricis injicienda lupis?
Interea cristas recutitus hic erigit heros,
Ut se terrestrem jactitet esse Deum.
Nostra etiam tantas mirata Politica vires,
Inviæti Imperii callida fulcra notat.
Unica Sultani valet hic pro lege voluntas,
Hic necis & vitæ jura soluta tenet.
Nemo suos titulos clypeosq; recenset avorum,
Surculus Ossmanni talia solus habet.
Hunc penes armorum viget inviolata potestas;
Imbellis solo turba timore placet.
Nec patet ingenuas Civi progressus ad artes,
Quas modò Divani curia clausa fovet.
Vix curare licet populi num splendeat arca,
Dum Fiscus misero turgidus ære micat.
Nemo domi natus sublimem pergit ad aulam,
Quam peregrinorum rapta caterva replet.
Sive suum vendit perversus Apostata nomen,
Seu redimit raptus foeda tributa puer.
Quos igitur peperit Sultani gratia totos,
Sangvinis & gentis factio nulla trahit.
Adde quod in sacris mandata silentia plebem
Abjectâ & timida credulitate premunt.
Interea pubes nostras collecta per oras
Militiæ vegetam tradere jussa manum;
Et soli & pluviis duroq; assveta grabato,
Sarcit inexhaustis agmina cæsa viris.
Ipsi etiam fratres, quibus una vel altera pellex
Obruit invitam, post miseranda, domum.

Ipsi

Aut laqueo aut latebris generati, plena timoris
Fata, nec immenso digna parente ferunt.
Quid? simul & vini nullus vel parcior usus
Cornua suppressos fumere nulla finit.
Quis dubitat Satanam fraudum scelerisq; Magistrum
Obstetricantes hic habuisse manus?
Omnia subtili duranteq; texta labore,
Temporis aut ferri vix nocumenta timent,
Sed quorsum loquor hæc? fallentia stramina cerno,
Stramine vel siquid vilius esse solet.
Non fraus, non virtus Turcam, non prælia firmant,
Qui nostra florens impietate viget.
Donec Christicolas scelerum vexaverit æstus,
jugiter in poenam firma flagella ruent.
Non Amalek vincit, vibratis fortiter armis,
Pendula sed Moses brachia lassus habet.
Si redeat pietas, si det contritio fructum,
Luceat & melior justa per acta fides,
Vel regni moles, rabidi vel militis ardor,
Vel timor & pestis fata sinistra daret.
Sunt equidem Statui sua vulnera, serpit & ignis
Quem magis arsurum lenta favilla tegit.
Luxuriat turgens ad sceptræ precaria miles,
Nec sibi deberi tempora tuta negat.
Et quia nunc gemina straverunt cæde Tyrannos,
Fallor an exemplis gaudeat ira novis?
Det Deus, internæ tandem gens nescia pacis,
Ut ferat in cædes mutua tela suas.
Incola & ad ferrum digitos habiturus inertes,
Torqueat in sacrum lignea tela caput.
Plura perorantis BEHNISI sermo minatur,
Qui valedicturus pulpita nostra premet.
Is quæ sustineant Turcarum robora fastum,
Et quibus infidiis grande laboret opus;
Pro modulo scriptis jussus deducere verbis,
Blanda Patronorum cernere Signa cupit.
Quos igitur Studiis unquam juvat esse benignos,
His etiam faveant, quod petit ipse Cliens.